

34 OLEA per DISTILLSAT.

OLEUM TEREBINTHINÆ

æthereum,

et

BALSAMUM.

OLEUM terebinthinæ distilletur ex retortâ lenissimo igne, donec, quod restat, balsami crassitudinem acquisiverit.

BALSAMUM terebinthinæ etiam distillari potest ex resinâ flavâ, unde, potest oleum tenuius, quod separatim auferri debet, prodibit balsamum crassum, remanente in fundo retortæ Resinâ nigrâ vel Colophonîâ.

OLEUM COPAIVÆ

compositum.

℞. Balsami copaivæ p. libras duas,

Gummi guaiaci p. uncias quatuor.

DISTILLATIONE ex retortâ eliciatur M. libra una.

SALES, et SALINA.

NITRUM PURIFICATUM.

NITRUM in aquâ coquatur, liquor per chartam coletur, deinde post idoneam exhalationem seponatur in loco frigido, ut nitrum in crystallos concresecat.

EODEM modo purificatur Sal ammoniacus-

ALU-

ALUMEN USTUM.

ALUMEN in vase fictili vel ferreo calcinetur, quamdiu effervescit ac tumet.

VITRIOLUM CALCINATUM.

VITRIOLUM viride in vase fictili igne aperto calcinetur, donec probè exsiccatum fuerit; deinde fracto vase eximatur, et seruetur ad usum in vase bene clauso. Vitriolum optimè calcinatur, si in fundo, et ad vasis latera rubescat.

SAL ABSINTHII.

ABSINTHII cremati cinis in ollâ terræ. vel quovis vase commodo, igne supposito, per horas aliquot bene incandescat; move subinde, ut omne oleum exuratur; tum in aqua coquatur, et aqua per chartam colata evaporetur, ut sal siccus remaneat, qui reponatur in vase optimè clauso.

EODEM modo paratur sal alkalinus fixus ex aliis vegetabilibus, unde hic sal educi potest.

SAL TARTARI.

TARTARUM cujuscunque speciei, vel chartâ emporeticâ madidâ involutum, vel vase idoneo inclusum, igni committatur, ut oleum emne exuratur; deinde coquendo in aquâ sal elicitur, ut prius.

LIXIVIUM TARTARI.

TARTARUM ad alitudinem calcinatum reponatur in loco humido, ut liquefcat.

C 2

TAR-

TARTARUM SOLUBILE.

- ℞. Salis cujuscvis alkalini fixi ꝑ. libram unam,
Aquæ congiū unum.

SALI in aquâ bulliente soluto tartari crystallos gradatim injice, quamdiu effervescentiam excitant; quæ ferè cessat, antequam triplum salis alkalini pondus sit injectum: deinde liquorem per chartam colā, & post idoneam exhalationem sepone, ut crystalli formentur; vel aquam penitus excoque, ut massa salina relinquatur.

LIXIVIUM SAPONARIUM.

- ℞. Cinerum Russicorum,
Calcis vivæ, pondera æqualia,

CALICE & cineribus aquam instilla, donec calx extincta sit; tum, aquâ largius affusâ, bene peragita, ut cinerum faldedo liquecat; deinde quiescere permitte, & liquorem, si opus sit, per chartam colarum in aliud vas transfunde. Hujus liquoris mensura libralis cautissimè examinata uncias sedecim pendere oportet. Si ponderosior sit; quot drachmis hoc pondus excedat, totidem ꝑ. fescunciæ aquæ in singulas mensuras librales addendæ sunt; sin verò sit levior, liquor decoquendus est, donec totidem fescunciæ sint consumptæ; vel calci cineribusque recentibus denuo affundendus.

SAPO AMYGDALINUS.

- ℞. Olei amygdalini recens expressi quantum libuerit,

• buerit, Lixivii saponarii jam dicti triplicem
mensuram.

DIGERANTUR simul tanto calore, quo
parum, aut vix ebulliant, & intra paucas ho-
ras coibunt; deinde liquor aliquantulum coctus
pellucidior & mucilaginosus fiet, qui gelatinæ
instar frige factus concresecet; tum salem mari-
num injice, dum liquor ebulliens non amplius
sit mucilaginosus, & coctio continuetur, donec,
guttis liquoris in tegulam demissis, aquam a
sapone coagulato promptè secedere compertum
sit; postea remove ignem, & sapo gradatim su-
pernabit, qui, antequam frigescat, auferri,
& in formam ligneam, cui pannus sit pro fun-
do, immitti debet: tandem exemptus sepona-
tur, ut justam crassitiem acquirat.

EODEM modo ex oleo olivarum sapo con-
fici potest; purissimum autem oleum adhiben-
dum est, ut sapo tum palato, tum ventriculo
quam minimè ingratus sit.

CAUSTICUM COMMUNE

fortius.

LIXIVIUM saponarium supra dictum coque
ad partem quartam; deinde calcem vivam, quæ
in pulverem trita, cribrata, & vase vitreo su-
bere obturato asservata fuerit ad plures menses,
huic lixivio, dum adhuc ebullit, insperge, do-
nec omnem liquorem absorpserit, ut fiat pasta,
quæ vase optimè clauso servari debet.

C 3

CAU-

CAUSTICUM COMMUNE

mitius.

℞. Saponis mollis.

Calcis vivæ recentis, pondera æqualia.

U s u s tempore probè misceantur.

ACETUM DISTILLATUM,

vel

SPIRITUS ACETI.

ACETUM distilletur leni calore, quamdiu guttæ cadunt ab empyreumate puræ.

Si aliqua pars spiritûs primùm prodeuntis abjiciatur, spiritus asservatus fortior erit.

SAL DIURETICUS.

℞. Salis cujuscunque alkalini fixi ꝑ. libram unam.

COQUATUR lenissimo igne in aceti distillati quadruplo, vel quintuplo; fermentatione cessante, plus aceti distillati diversis vicibus adjiciatur, donec, priore aceto ferè vaporando absumpto, novum acetum additum nullam moveat fermentationem; quod fiet consumpto aceti distillati quasi pondere librarum viginti; postea lentè exsicceetur. Relinquetur sal impurus, qui leni igne aliquantisper, sed non nimis diu, liquefiat; deinde aquâ solvatur, & per chartam coletur. Si liquefactio rite peracta sit, liquor colatus limpidus erit & aquei coloris. sin aliter coloris fusci. Denique lenissimo igne vaporet hic liquor ex vase vitreo minimè profundo, sale, dum arefcit, subinde moto, ut citiùs

citiùs ad siccitatem perducatur; qui vase optime clauso asservari debet, ne ex aëre liquefcat.

S A L E M candidissimum esse oportet, totumque tum aquâ, tum spiritu vinoso dissolvi, nullis fæcibus relictis. Si sal, etiam si albus sit, in spiritu vinoso fæces aliquas deposuerit; eo spiritu solutus per chartam colandus est, iterumque exsiccandus.

SPIRITUS VITRIOLI

tenuis & fortis,

atque

COLCOTHAR.

VITRIOLUM calcinatum in vasis terreis igne reverberii per triduum distilla. Liquore stillatitio retortæ vitreæ indito, & calore arenæ distillato, ascendet spiritus tenuis; & in retortâ remanebit spiritus fortis, qui vulgò oleum vitrioli, quamvis improprie dicitur.

Quod restat in vasis terreis post primam distillationem, colcothar vitrioli vocatur.

SPIRITUS NITRI

Glauberi.

℞. Nitri ꝑ. libras tres,
Spiritus vitrioli fortis ꝑ. libram unam.

CAUTE & gradatim sub camino misceantur; postea fiat distillatio igne primùm leni, deinde fortiori.

SPIRITUS SALIS MARINI

Glauberi.

℞. Salis marini,

C 4

Spi-

Spiritûs vitrioli fortis, singulorum p. libras
duas.

Aquæ M. libram unam.

SALI adde gradatim sub camino spiritum vitrioli aquâ prius mixtum; tum distillatio fiat primùm leni igne, deinde fortiori.

AQUA FORTIS.

℞. Nitri.

Vitrioli viridis non calcinati, singulorum p.
libras tres,

Vitrioli ejusdem calcinati p. sesquilibrium.

PROBE misce, & igne fortissimo fiat distillatio, quamdiu vapor ruber exit.

AQUA FORTIS COMPOSITA.

℞. Aquæ fortis p. uncias sedecim,

Salis marini p. drachmam unam.

DISTILLA ad siccitatem.

SAL VITRIOLI.

℞. Vitrioli albi p. libram unam.

Spiritûs vitrioli fortis p. unciam unam,

Aquæ quantum satis sit.

VITRIOLUM coquendo solve, per chartam cola, & post idoneam exhalationem in loco frigido sepone, ut crystalli formentur.

TARTARUM VITRIOLATUM.

℞. Vitrioli viridis p. uncias octo,

Aquæ M. libras quatuor.

VITRIOLO in aquâ bulliente soluto injice salem tartari, vel alium alkalinum fixum, donec
omnis

omnis effervescencia cesset ; quod ferè fit, in-
jecto salis pondere unciarum quatuor , vel ali-
quantò amplius: deinde per chartam cola, &
post idoneam exhalationem sepone, ut crystalli
formentur.

NITRUM VITRIOLATUM.

RESIDUUM post distillationem spiritûs ni-
tri Glauberi solve aquâ calidâ, per chartam co-
la, & salem in crystallos redige.

SAL CATHARTICUS

Glauberi.

RESIDUUM post distillationem spiritûs salis
marini Glauberi solve aquâ calidâ, per chartam
cola, & salem in crystallos redige.

SPIRITUS SALIS MARINI

coagulatus.

SPIRITUI salis marini Glauberi instilla li-
xivium salis cujusvis alkalini fixi, donec omnis
effervescencia cesset ; deinde mixtura vaporet
ad siccitatem.

SPIRITUS VITRIOLI

dulcis.

℞. Spiritûs vitrioli fortis, olei dicti, ꝑ. libram
unam,

Spiritûs vinosi rectificati M. libram unam,

CAUTE & paulatim misceantur, lenissimo-
que igne distillentur, donec spuma nigra inci-
piat se attollere: tum statim omnia ab igne amo-

C s vean-

veantur, ne hæc spuma in recipiens transeat, omnemque laborem reddat irritum.

SPIRITUS NITRI
dulcis.

℞. Spiritus vinosi rectificati M. libras duas,
Spiritus nitri Glauberi ꝑ. libram dimidiam.

MISCE infundendo nitri spiritum alteri, & distilla leni calore, quamdiu, quod prodit. fermentationem cum sale lixivioso non suscitatur.

SPIRITUS SULPHURIS
per campanam.

INCENDATUR sulphur sub vase vitreo ad hunc usum accomodato, quod campana appellatur, et spiritus acidus distillet in vas vitreum, subjectum.

SPIRITUS, SAL, et OLEUM
SUCCINI.

SUCCINUM distilletur igne arenæ gradatim aucto: ascendent spiritus, oleum, et sal oleo inquinatus.

OLEUM iterum per se distillando dividetur in oleum tenuius, quod ascendet; et in partem crassiorem remanentem, Balsamum succini dictam.

Sal coquendus est in spiritu proprio, vel in aquâ, et seponendus ad crystallos formandas: ita ab oleo adhærente mundabitur. Et quò sæpius hoc fit, eò purior erit.

SPI-

SPIRITUS, SAL, et OLEUM
CORNU CERVI.

Ex cornu cervini fragmentis fiat distillatio, igne gradatim ad summum ferè aucto : ascendent spiritus, sal, et oleum.

SI, oleo separato, spiritus et sal simul mixtiterum lenissimo calore distillentur, ambo puriores ascendent. Si hoc cautè aliquoties repetatur, sal fiet candidissimus, et spiritus instar aquæ limpidus, gratique odoris.

Sal a spiritu separatus, et sublimatus primum ex æquali pondere cretæ purissimæ, deinde ex paululo spiritu vinoso rectificato, citiùs fit purus.

CORNU cervi calcinatum plerumque conficitur urendo cornua post hanc distillationem relicta.

EODEM modo spiritus, sal, et oleum extrahi possunt ex partibus quibusvis quorumcumque animalium.

SPIRITUS, SAL, et OLEUM
FULIGINIS.

Ex ligni fuligine distillatio fiat, ut ex cornu cervi: majore autem labore opus est, ut spiritus et sal reddantur puri.

SAL VOLATILIS SALIS
AMMONIACI.

℞. Cretæ purissimæ P. libras duas,

Salis

Salis ammoniaci P. libram unam.

SUBLIMA ex retortâ igne forti.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

℞. Salis alicujus alkalini fixi P. sesquilibram,
Salis ammoniaci p. libram unam,
Aquæ M. libras quatuor.

DISTILLATIONE eliciatur leni igne men-
sura librarum duarum.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI
dulcis.

℞. Salis alicujus alkalini fixi P. libram dimidiam
Salis ammoniaci P. uncias quatuor.
Spiritus vinosi tenuioris M. libras tres.

DISTILLATIONE eliciatur leni igne men-
sura sesquilibræ.

SPIRITUS VOLATILIS
fœtidus.

℞. Salis cujusvis alkalini fixi P. sesquilibram.
Salis ammoniaci P. libram unam.
Asæ fœtidæ P. uncias quatuor,
Spiritus vinosi tenuioris M. libras sex.

DISTILLATIONE eliciatur leni calore men-
sura librarum quinque.

SPIRITUS VOLATILIS
aromaticus.

℞. Essentiæ limonum,
Olei nucis moschatae essentialis, singulorum
P. drachmas duas,

Olei

Olei caryophyllorum aromaticorum essentia-
lis ꝑ. drachmam dimidiam,

Spiritûs salis ammoniaci dulcis M. libras duas.

DISTILLA igne lenissimo.

RESINOSA,

et

SULPHUREA.

FLORES BENZOINI.

BENZOINUM in pulverem tritum ollæ figu-
linæ in arenâ locatæ immittatur, et leni calore
fiores sublimentur in conum chartaceum ollæ
adaptatum.

VEL benzoinum retortæ immittatur, et leni
igne flores in retortæ collum ascendent.

FLORES flavedine inquinati terræ Cimoliæ
albâ mixti denuo sublimentur.

FLORES SULPHURIS.

SUBLIMENTUR sulphur ex vase idoneo,
et flores, qui concresecant, reducantur in pulve-
rem molâ ligneâ, vel ligneo pistillo in mortario
marmoreo.

FLO-